

LEGATI STOLPIANI
CURATORES
LECTORI S.



Quae quinque vel sex abhinc annos querendi nobis erat materies de temporum nostrorum ratione, a Musarum otio alienissimâ, de interruptis Reip. Literariae commerciis, cogitationibusque omnium ad publica negotia conversis; illa certe querimoniae causa, post tantum annorum spatium, neque minus justa est, neque in rebus *Instituti STOLPIANI* minorem vim et efficaciam habet. Languescente enim studiorum industria, pauci reperiuntur, qui, in penuriâ rerum etiam maxime necessariarum, comparandis sibi Commentariis Philosophicis impensam augere velint; pauci (atque inde rei Typographicae tarditas) qui, continuatâ *Stolpianae Syllogae* emtione, editionis sumtus, etiam parce, rependant. Tum porro cum ipsâ temporum difficultate crescit curae nostrae difficultas. Quippe, si argumentum a no-

bis proponatur, remotum ab illâ cogitandi viâ, in quâ, hac nostrâ aetate, quamplurimi libentius insistant, fordet propemodum labor et vix dignus, in quo quisquam se exerceat, magnae philosophantium parti videtur; sin contra Quaestio versetur in disceptatione causae alicujus, quae conjuncta sit cum ipsâ illâ, quam dicebamus, temporum nostrorum ratione, sententiae dicendae periculum aut invidia alios deterret; alios aestuantium opinionum divortia a proposito deflectunt: Neque tamen unquam committendum nobis putavimus, ut in dicendi controversiam illa vocemus argumenta, quae populo aut populi partibus, his illisve, potissimum placerent, multo minus ut talem controversiam adfertione nostrâ, jam ante concertationem, in hanc illamve partem adprobaremus, quo occupandi iudicii exemplo quid aut indagandae veritati plus nocere potest, aut a Philosophi personâ magis esse alienum?

Ad hanc igitur communem rei Literariae calamitatem referimus decrescentem in dies numerum eorum, qui in stadio, quod ante hos quinquaginta annos I. STOLPIUS non fucatae Philosophiae dedicavit, amplius de coronâ contendere velint, ita ut tres tantum fuerint iterum, qui Problema, anno 1796. propositum, sibi
 sum

sumserint explicandum. **Erat illud** : „ Quae sunt prae-
 „ cipua capita, ac quae causae Phÿsicae et Mora-
 „ les diversae indolis, qua aliae ab aliis Nationes
 „ discrepant? An, et quatenus, in praeceptis morum
 „ publicorum condendis Ethicae doctores ejus diffe-
 „ rentiae rationem habere convenit? ” — Sed bonum
 factum! Disertationum paucitatem illarum praestantiâ
 pensari atque eâ potissimum dote, ut tres Viri, suis
 quisque meritis commendabiles, quamquam diversissi-
 mam disputandi viam ingressi, eodem tamen evase-
 rint, et in idem placitum conspiraverint amicissime :
 Quocirca parum abest, ut unanimis eorum sententia
 pro verâ et probatâ debeat haberi. Prior Disertatio
 est **AUGUSTI MATTHIAE**, Viri, qui hilariores
 Musas, Graecas Latinasque, cum severiori sapientiae
 studio feliciter conjungit, cujusque, publico docendi
 muneri jam inter Germanos suos admoti, nos quoque
 Batavi, cum ipse juvenis in hisce terris pridem mo-
 raretur, eruditionem agnovimus, ingenii elegantiam,
 et humanitatem: Atque is praemium reportavit. Ne-
 que tamen minus laudanda est doctrina, industria,
 et voluntas Viri plurimum **Reverendi, GULIELMI DE VOS**, qui Doctoris publici partes apud
 Telciobaptistas Amstelodamentès, in viridi etiamnum

senectâ, meritâ cum laude sustinet: Tertius denique
LUDOVICUS-GEORGIUS BEKERN, V. D. Mi-
 nister Vareliae in Ducatu Oldenburgico, peritiam su-
 am ac philosophandi rationem jam demonstraverat Dis-
 sertatione, quae, tum temporis quoque inter proba-
 tissimas relata, in **Volume Sylloges Stolpianae** repe-
 ritur, quod ante hos undecim annos prodiit. Caete-
 rum optamus, ut novum, quod ingressi sumus, sae-
 culum felix magis fortunatumque Instituto Stolpiano,
 Academiae item nostrae Batavae, ulterius decurrat,
 et recentia damna novis reparet incrementis. Vale.

Quaestio ex *Naturali Theologia*, die 10^{mo} Novembris anni 1798. proposita, et repetita die 5^o Decembris anni 1800. haec est:

„ *Quae fuerint eorum inter Antiquos tam Populos quam Philosophos, qui animos corporibus post mortem superstites crediderunt, seu opiniones seu placita et sententiae, de ulteriori animorum post decesum ex hac vita perfectione?* ”

Problema, ex *Disciplina Morali*, die 5^o Decembris anni 1800. propositum est his verbis:

„ *Quaeritur, quid Historia recte tradita aut scripta faciat ad Ethicam, praecipue inter Gentes et Populos? Quae illius, ut generi humano prosit, recte tradendae scribendaeve sint leges? Quae perperam traditae scriptaeve damna, aut in perniciem societatis humanae frequentes nimium noxae? quae porro noxae exemplis demonstrantur.* ”